



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Burchardi VVormaciensis Ecclesiae Episcopi,
Decretorum Libri XX. ex Consiliis, & orthodoxoru[m]
patru[m] Decretis, tum etiam diuersaru[m] nationum
Synodis, ceu loci communes congesti, in quibus ...**

Burchardus <Wormaciensis>

Parisiis, 1549

Quòd electi, seu reprobì ad loca communia deducantur in tormentis. lxxiii.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10722

mortalis dicitur, dum constat quod in perpetuo igne moriatur. Quia duobus modis vita dicitur: duobus etiam modis *Gre. ref.* mors debet intelligi. Aliud est namque quod in Deo vivimus aliud verò quod in hoc quod conditi vel creati sumus: id est, aliud beatè vivere, & aliud essentialiter. Anima itaque, & mortalis esse intelligitur, & immortalis. Mortalis quippe: quia beatè vivere amittit. Immortalis autem: quia essentialiter vivere nunquam desinit: & naturæ suæ vitæ perdere non valet, nec cum in perpetua fuerit morte damnata. Illic enim posita beatè esse perdet: & esse non perdet. Ex qua re semper cogitur, ut & mortem sine morte, & defunctum sine defuncto, & finem sine fine patiatur.

Quod electi seu reprobi ad loca communia deducantur in tormentis. Caput LXXIII.

Quod verò siue electi seu reprobi, quorum communis causa in opere fuerit, ad loca etiam communia deducantur, veritatis nobis verba satisfaceret, etiam si exempla defessent. Ipsa quippe veritas, propter electos in euangelio dicit: In domo patris mei multæ mansiones sunt. Si enim dispar in illa beatitudine aeterna retributio non esset, una potius mansio quam multæ essent. Multæ ergo mansiones sunt, in quibus & distincti bonorum ordines, propter meritum consortium communiter latentur, & tamen unum denarium omnes laborantes accipiunt, qui multis mansionibus distinguitur: quia & una est beatitudo quam illic percipiunt, & dispar retributionis qualitas, quam per opera diversa consequuntur. Quæ nimirum veritas, iudicij sui diem denuncians ait, Tunc dicam messoribus colligite zizania, & ligate ea fasciculis ad comburendum. Messores quippe angeli sunt, zizania in fasciculis ad comburendum ligant, cum pares comparibus in tormentis similibus sociant, ut superbi cum superbis, luxuriosi cum luxuriosis, avari cum avaris, fallaces cum fallacibus, invidi cum invidis, infideles cum infidelibus, ardeant. Cum ergo similes in culpa, ad tormenta similia adducantur, qui eos locis pœnalibus angeli deputant, quasi zizaniarum fasciculos ad comburendum ligant.

De hoc quod in domo Dei multæ mansiones sint.

Caput LXXIII.

In euangelio veritas dicit: In domo patris mei mansiones multæ sunt. Sed in eisdem multis mansionibus erit aliquo *Grego. in suis mora li. dicit.*